



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

I. Quod constituti in sacris tantum habeant vocem in capitulo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

libus fratribus dominis Dei gratia fratre M. Imolenſi, fratre P. Comaclenſi, P. Foropompilienſi, fratre V. Fauentino I. que Cæſenatenſi episcopis: & procuratoribus venerabilium patrum Bononiensis, Adriensis & Reginensis episcoporum, ac capituli Mutinensis, cum ecclesia ipsa vacet ad præſens, Christi nomine inuocato, de approbatione ipsius Concilii, cui, Deo permittente, præſidemus, infrascriptas constitutiones duximus edendas, promulgandas, ac publicandas. Et ne contra eas aliquid possit fieri, vel ignorantia aliqua prætendi, eas post tres menses proxime subsequentes, mandamus, & statuimus ab omnibus subditis prouinciæ Rauennatis inuiolabiliter obseruari.

ANNO
CHRISTI
1314.

CAPITVLA.

RUBRICA I.

Cum ordines sacri, sancto afflante Spiritu, sint ad augmentum gratiæ suscipientium illos maxime constituti, & ob hoc conferendi sint præcipue viris scientia & vitæ sanctitate præditis, a criminibus & infamia alienis, quia apostolis & discipulis suis, quorum vicem hi tenent, Dominus secretiora reuelauit clarius, statuimus quod solummodo constituti in sacris ordinibus, & non alii, ad capitula vocentur, & vocem habeant in capitulo. Et hæc intelligimus de sæcularium clericorum capitulis, non de conuentibus religiosorum.

RUBRICA II.

Quoniam Dominus ordinem Leuitarum, quorum locum obtinent clerici, voluit & mandauit esse discretum a populo, vt coram eo starent semper, & audirent sapientiam eius; & species cæli est gloria stellarum, & in antiquis est prudentia, cum nemo eligat tirones, quos non constat esse pru-